




43885



268





Scazon  
Nuptiis Florentissimis  
**POMARIO-RIGERIANIS**

dicatus

ab

**HENRICO Mühlpfort.**



**VRATISLAVIÆ,**

Typis **BAUMANNIANIS**, exprimebat  
**JOHANN. CHRISTOPH. JACOB.**







**A**N Literato vinculum maritale  
Juvamen adferat, solutior curis  
Num vivat ille, cui latus premit Conjux,  
Et lectulum calere curat amplexu;  
In quæstionem jam diu Viri docti  
Traxere, sunt qui pernegant, & affirmant  
Alii vicissim, nec deesse momentum  
Utriq; , sectæ comprobavit eventus.  
Qui dixit olim Sarcinam Bonæ Mentis,  
Vitæ charybdin, Corporis luem certam,  
Tranquillitatis turbinem, ruens Fulmen,  
Ævilatronem, pyxidem venenatam,  
Orcum vorantem, masculi se cûs florem,  
Id esse Fœminam, est locutus expertus!  
Ego fallor? Illos contubernio an Phœbi  
Votos Sodales, Artium Sacerdotes  
Non addecere, censet ordo Zenonum,  
Obgannientes fœminas sacris curis?  
Emafculatur Spiritus, subit torpor,  
Heroicusq; mentis igneæ fervor  
Tepescit ad lentas Cupidinis flammæ:  
Nec posteris transmittet inclutum nomen,  
Vel in tholo perennitatis appendet  
Monumenta paulò terfiora, quem Coniux



Effascinavit poculo voluptatum.  
At queis silentes displicent domûs, cœlo  
Conjunctionem masculi atq; fœmellæ  
Tollunt, beatitatis ut characterem  
Vitæ typum cœlestis esse contendant.  
Quod regna florent, urbs quod incolis vernat,  
Et Universi machina artibus ridet;  
Quod posteri profapias suas norunt,  
Nec interit genus sub orbe viventum,  
Ex matrimoniis originem ducit.  
Narrare notam differo voluntatem  
Summi Biarchæ; Mutuas manus poscit  
Humana vita, ut alter alteri proficit  
Lex est sacrata pectoris penetrali.  
Et pellecebras insitas habet Forma,  
Nec Masculus lubentius videt quicquam,  
Quam Fœminam, cui pulcritudo subservit.  
Si cæteris amare convenit, cur non  
Et Eruditos ornet elegans Sponsa  
Lætæ & tonantis sortis affecla electa?  
Nec hostis illa literis, sed adjutrix,  
Disponit ædes, prospicit rei privæ,  
Ne comparatæ sentiant facultates  
Damnum; Maritus cum laboribus functus  
Domum revertit, fronte tam serenatâ  
Et efficaci basio salutatur.



Ut hæc movere vel rigens queant saxum.  
Proinde rectè agis, Decus Camenarum  
Et Palladis jubar, polite Pomari,  
Quod cælibes fastidiens dies porrò  
Compektoratam vivere incipis vitam.  
Notum Tibi est quod Plinio lucernarum  
Calpurnia ignes prætulit, minervales  
Cum volveret curas: Suam Pudentillam  
Beat venustis laudibus Madaurensis  
Quod hæc studentî adhæserit comes fida.  
Nec Symmachus Rusticcianam abhorrebat  
Cum pervigil juris Libros volutaret.  
Jam quis tot exemplis resisteret? fas est  
Vitam quod edulcet parare quærenti.  
Quippe hæctenus recalcitrans Epheborum  
Pectus domuisti, nunc domaberis Ductor  
Blandis habenis quas gubernat investis  
Puer Cupido, & mater ignium Cypris.  
Grator, Tuæq; idem medullitus grator;  
Viduo cubili mille sentias lusus,  
Nec Nuptias Eryx, diserte Pomari  
Pomo doloris jurgiisq; funestet;  
Sed Copiæ cornu suum penu fundat,  
Et uberes videte semper Auctumnos.



Nr 332

ULB Halle

3

001 594 656



TA → OL




Retro: Stk. 39 - 42 unvollst.,  
nicht in PICA

V077









B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

azon  
orientisfimis  
**RIGERIANIS**

catus  
ab

o **Mühlpfort.**



**ISLAVIÆ,**  
ANNIANIS, exprimebat  
CHRISTOPH. JACOB.

